QL
375
P16
1766
Inv.
Zool.

P. S. PALLAS

MEDICINÆ DOCTORIS

Academ. Cæsareæ & Societ. Reg. Anglicæ Sodalis

ELENCHUS

ZOOPHYTORUM

SISTENS

GENERUM ADUMBRATIONES GENERALIORES ET SPECIERUM COGNITARUM SUCCINCTAS DESCRIPTIONES

CUM

SELECTIS AUCTORUM SYNONYMIS.

En tibi marini muſeum aperio ——
—— *nec non toto quæſita profundo*
Et mix ex imis evulſa coralia ſaxis.
SANNAZAR.

SERIALS

HAGÆ-COMITUM,
Apud PETRUM VAN CLEEF
MDCCLXVI.

VIII. ANTIPATHES.

DEFINITIO.

ANIMAL vegetans:
Stirps cornea, extus *scabra*, attenuata;
basi explanata; obducta
Cortice gelatinoso, floreſcente
Polypis tentaculatis.
Ovaria, calyces corneæ ſtirpi inſidentes, ſubturbinati.

ANTIPATHEN, quod appropriato utcunque incerto nomine appellare viſum eſt, genus cum *Gorgoniis* autores hucusque omnes confuderunt. Et ſuperficiarie, in Muſeis, iſtius ſpecies contemplanti, alterius generis cortice forte orbata ſpecimina facile videri poſſent. Diverſiſſimæ tamen naturæ eſſe attentiore perquiſitione diſcimus. *Antipathis atque Gorgoniæ affinitas.*

Natura creſcendique modo *Antipathis* Genus ſummopere Gorgoniæ affine eſt. Simili nempe baſi explanata rupibus inſidet; ſimiliter truncum in ramos ſenſim ſubdiviſum & *attenuatum*, univerſamque ſtirpem ſimul, in omnem dimenſionem, creſcere teſtificantem exhibet; ſubſtantia, ut Gorgoniæ, eſt cornea, lamelloſa, ſed in lamellas & fibras ob rigiditatem ægrius ſeparabili; tandemque, earundem adinſtar, in mari, cortice nutritivo ac floreſcente obductum invenitur.

Porro, prorſus eodem modo, contigua quæ-

vis

vis corpora crusta cornea obducit *Antipathes*, & contigui ejus rami facile coalescunt, ut in plurimis Gorgoniis quoque fieri videmus.

A Gorgoniis diversitas: Lignum.

At differunt insigniter Antipathis species omnes, primum quoad *Lignum* externum habitum: quod non, uti in Gorgoniis læve aut substriatum, sed tenerrima crebraque scabritie constanter hispidum est. Spinulæ scabritiem constituentes per series digestæ sæpe sunt, inque antiquis plurium specierum truncis, obsolescunt inque tomenti quandam speciem degenerant; extremos vero, setaceos ramulos largiori hirsutie exasperant.

Idem deinde *Lignum* generaliter multo, quam in plerisque Gorgoniis, densius est, rigidius, fragilissimæque & quasi vitreæ naturæ.

Cortex Antipathis gelatinosus.

Cortex autem, quo *Antipathes* vivit, non calcareus est; sed gelatinosum tegumentum, in extremis ramis crassius, inque polypos efflorescens. Hoc quidem cortice, utpote putrescibili, in Musæis adservata specimina fere semper orbata visuntur; verum ex observatis *Marsilianis*, *Rumphianisque* & ex inventis a meipso, in siccis quibusdam speciminibus, mucosæ crustæ reliquiis, omnibus novi nostri Generis speciebus naturalem essentialemque esse satis constat. Ex dictis porro liquet, in junioribus ramulis eundem crassiorem esse, in antiquioribus truncis vero obsolescere.

Ovaria s. calyces.

Notatu dignissimum est & adfinitatem inter *Antipathes* & *Sertularias* quandam constituere videtur, quod istæ, sicut harum pleræque, *calyces* singulares, propagationi aut seminificationi verosimillime destinatos, in trunco ramisque proferant. Notabilia hæcce *Antipathum* organa in plerisque enumerandarum specierum, plurimis perlustratis speciminibus, detexi. *Sunt calyculi turbinato cylin-*

lindracei, varie incurvati, e substantia cornea stirpis orti, eidemque continui. Crassiuscula eorum ad stirpem substantia in tenuissimam limbi lamellam extenuatur.

Hos *Antipathum* proprium & naturale organum esse, non heterogeneas animalculorum adventitiorum cellulas, testatur *diversa* eorum in diversis speciebus & *constans figura* ac *magnitudo*: docet *numerositas* atque intima eorum, cum substantia stirpis, evidentissimaque *continuitas*.

Species hujusce generis in Museis, quamvis integumento suo animali, gelatinoso plerumque distitutas, quilibet facile ex superstitis ligni eleganti hispiditate dignoscet. In planum crescendi lex, cui Gorgoniæ pleræque adstrictæ sunt, in harum pauciſſimis locum habet.

132. ANTIPATHES FORNICULACEA.

ANTIPATHES ramosissima, ramis setaceis decomposito pinnatis.

**Rumph. amb. VI. p.* 208. *tab.* 80. *f.* 3. Fœnum marinum.

DESCRIPTIO.

Frutex pedali sæpe major, in latum expansus, diffusus, tenuicaulis. *Truncus* in maximis calamo non crassior, ramosissimus, subdivisus. *Rami* inordinati, creberrimi, fere distichi, patentes, rigentesque, setacei; *setis* distichis, sine ordine alternis vel suboppositis, aliquando ramosis pinnati. *Lignum* fruticis, ubi opacum, atrum, extus tenerrime hispidum. Rami aliqui infracti

quasi,

quasi, cum contiguisque coaliti. *Tegumentum* mucosum, setaceis maxime ramis crassissimum, ex altero fruticis latere in nodulos per intervalla collectum, siccatumque ramulos nodosos sistens. *Ovaria* rara observavi, subaxillaria, sparsave, brevia, cylindracea.

Trunci hujus speciei in *Museis* sæpius occurrunt, nodosissimi, ramo vix uno alterove pinnato superstite; rarius integra specimina. E nodoso muco plerumque superstite, siccato quamvis, speciem facile agnoscet quivis. — Apud Auctores ejus neque iconem, neque mentionem ullibi factam invenio; nisi forte *Rumphii* Fœnum marinum eo referre velis, quod mihi saltem huc pertinere visum est.

Locus: Mare Mediterraneum.

133. ANTIPATHES ERICOIDES.

ANTIPATHES ramosissima hispidissima atra, ramis sparsis, ramulis ubique crebris subulatis.

Rumph. amb. VI. p. 207. Cupressis marina prior.

DESCRIPTIO.

Stirps pedalis circiter, incompta, horrida s. spinosissima, aterrima, in latitudinem expansa, ramosissima. *Rami* sparsi, inæquales, oppositi, patenti-subrectanguli, attenuati, subdivisi asperisque setis item patentibus brevibus, plerisque distichis, multis & ramescentibus. *Lignum* ubique aterrima scabritie hispidissimum, opacum, fra-

fragile. *Calyces* in ſpecimine deſcripto, quod Celeberr. Dn. H. D. Gaubius in ditiſſimo *Muſeo* ſervat, nulli extant. Neque in alio ſpecimine quod Celeberr. Gronovii *Muſeum* continet obſervantur.

Locus: Oceanus Indicus.

134. ANTIPATHES PENNACEA.

Antipathes ramoſa ſubincurva, ramis pennatis, pinnulis ſetaceis creberrimis hiſpidis.

**Aldrov. muſ. metall. p.* 848. *ic.* 1. Peucites prima.

Rumph. amb. VI. p. 209. Accabaar rutturuttu ſ. Erica marina craſſa.

Descriptio.

E *baſi* cruſtacea atra, extus gryſeo-ſcabra, *trunci* plures, calami fere craſſitie, rigiduli, omnesque in unum clementer curvati latus, pedali fere altitudine, inæqualiter biſariam rameſi. Trunci *ramique* aſſurgentes ubique tomento gryſeo hiſpidi, diſtiche pennati: *pinnulis* creberrimis, ſetaceis, ſimplicibus, parallelis, flexilibus, undique hirſutis, in latus ramorum concavum leviter inclinatis. *Lignum*, abraſa lanuginoſa cruſta, aterrimum eſt, fragileque. — Specimen meum puriſſimum eſt, nec *Balanis* conſitum.

Locus: Oceanus Indicus.

NOTÆ.

Elegantiſſima ſimul atque rariſſima hæc Antipathis ſpecies eſt. De *Alkivovandino* ſynonymo dubitandi locus eſt. *Rumphius* autem (l. c.) certiſſime hanc ſpeciem voluit, ubi ſtirpem ramoſiorem *Ericæ* ſuæ *marinæ* tenui, ramis etiam aſperis, verum longioribus, plumaceis, *Muſcum ruturatta* referentibus, deſcribit. Datam vero hujus Muſci iconem ſpecimen meum, ramorum pennaceo habitu, valde aſſimilatur. — Addit *Rumphius*, nigriorem fieri ſiccatione, durioremque; e mari enim extractam muco copioſiori, quam Erica tenuis, obductam eſſe, eoque urticante ſeu pruritum ciente; prout mucus *Fœni marini* Rumphiani, quod, quonam referam, neſcio.

135. ANTIPATHES MYRIOPHYLLA.

ANTIPATHES incurva ramoſiſſima pinnulataque, ramis ſparſis divaricatis, pinnulis rariuſculis ſetaceis, hinc ramoſis.

Cluſ. exot. l. 6. c. 5. Ericæ facie frutex marinus.
Petiv. gaz. tab. 35. f. 12. Myriophyllum Indicum ramoſiſſimum.
Breyn. prodr. II. p. 35. Icon. p. 33. tab. 29. Lithophytum fuſcum, ſubhirſutum, ramis tenuiſſime diviſis & ſubdiviſis.
Rumph. amb. VI. p. 209. Erica marina tenuis.

DESCRIPTIO.

Fruticulus ad ſummum ſubſeſquipedalis, aſperrimus, inordinatus, varie incurvatus. *Caules* e baſi